







TENTAMEN MEDICUM

DE Mercurii abusu , & de
Plantarum in curandis morbis
venereis , tùm simplicibus ,
tùm complicatis præferentiâ.

QUOD Deo duce , & auspice Dei-Parâ , in
Augustissimo Ludovico Medico Monspeliensi,
publicis subiciebat disputationibus

AUCTOR,

IGNATIUS FERREIRA DA CAMARA , ex Riacho-
Fundo , Diœcesis Mariannensis in Brasiliâ ,
Liberalium Artium Magister , & in celebra-
rimâ Universitate Monspeliensi jamdudùm
Alumnus , die mensis Januarii , anno 1785.

PRO BACCALAUREATUS GRADU CONSEQUENDO.



MONSPELII,

Apud JOANNEM MARTEL, NATU MAJOREM, Regis, Occi-
taniæ Comitiorum , Universitatique Typographum
Consuetum.

M. DCC. LXXXV.



ILL. D. D.

ANTONIO GOUAN,

Regis Confil. & Medico, Prof. Reg. in
Ludoviceo Monspeliensi, Societat. Reg.
Scient. Sodali, & Reg. Scient. Huma-
norum Litterar. & Inscript. Tolos. Cor-
respondenti, Academiae Botanicæ Flo-
rentinae Socio Honorario,


*Has suarum elucubrationum in Medicinâ pri-
mitias ad æternum gratitudinis, reverentiæque
monumentum*

DICAT, VOVET, CONSECRAT

Obsequentissimus Servus
J. F. DA CAMARA,

*Dabam Monspeliî, die
mensis Januarii, 1735.*





PROŒMIUM.

§. I.

DE luis venereæ essentia parùm , & futilia dicunt Auctores ; de causis inter se non conveniunt. Malum ex Americâ à Chrystophori Colombi commilitonibus allatum fuisse communiter putant. Nos verò hanc assertionem non contradicentes , illum in obsidione Neapolis gigni potuisse supponimus , si milites vinum sanguine ægrotorum mixtum biberunt (1) , aut carnes humanas manducavêre (2) ; namque ab antropophagiâ luem originem ducere affirmatur (3). In Americâ non desunt animalia , fructus , &c. quorum simplex , & continuata comestio eruptiones exanthematicas producit , & lepram ipsam , si iis permiscuè utuntur (4). Itâ si humana caro eâdem proprietate gaudet , & antedictis fidem tribuimus , utique in Obsidione Neapolitanâ luem veneream etiâ creatam fuisse credimus (5).

(1) Cæsalpinus refert : *se habere à quodam milite , qui bello adfuit : » Hispanos quoddam oppidum in Monte Vesuvio à Gallis obsidentibus » deserere coactos , sanguinem ex ægrotis Nosocomii Divi Lasari extractum cum vino miscuisse , quod illic generosum erat. Ex hoc cum Galli » profusè bibissent , illicò laborare cœpere comparentibus sævissimis » symptomatibus , elephantiasim referentibus : & undè lues.*

(2) Leonardus Fioraventi in suo tractatu , Capricci Medicinali del Signori Leonardi Fioraventi , refert : *se accepisse à quodam Paschali Gibiloto sene Neapolitano , cujus pater Anonarius Præbitor fuerat in exercitu Alphonfi V , Aragoniæ Regis : » Cùm in illo diuturno bello » obsonia tùm Hispanis , tùm Gallis desuissent , utriusque exercitus » Præbitores lucri causâ , sed pessimo scelere humanas carnes clâm occisas in varia escarum genera aparasse , quæ militibus esurientibus carè » divenditabant ; & brevi illos pustulis , doloribus , alopecia , uno verbo , » lue venerea correptos fuisse.*

(3) Quæstio : *An prima luis venereæ origo ab antropophagiâ ? Affirmative defensa à Petro Benoist , pro Regiâ Cathedrâ impetrandâ in Ludovico Medico Monspelienfi.*

(4) *Interquadrupedia sunt Anta , Capivara , Tatû , Quati. Pisces , Pirata manduâ , Sorobim , &c. & fructus Amendoin (arachis hipogæa) la pistache de terre , & alia id genus. Plebs die , quâ se melle ingurgitat , talibus cibis abstinet ; quia non rarè leprâ corripitur.*

(5) *Le vrai peut quelquefois n'être pas vraisemblable. Despereaux,*

§. II.

Hoc virus, quaecumque sit, contagiosissimum est, undè facilis propagatio, illi omne genus humanum obnoxium, sed juvenes præ cæteris; namque hi, cùm pubertas advenit, ad libidinem præcipuè trahuntur, & si in hâc crisi omnis attentio, & vigilatio non impendatur, ad mercurianas, tantum malum dignoscentes convolant, ex quibus morbum carpunt (1); & postea communiter tardiùs medicina paratur; quaterùs sui criminis indicium parentibus eos patefacere pudet. Hinc variæ affectiones ad tumultum usquè comites, quæ, ut inquit *Baglivius*: illas occupant partes, quæ pro vitæ generis varietate debiliores sunt (2). Ità si uxorem duxerint, filiosque habuerint, illi tot erunt paternarum miseriarum hæredes.


§. III.

Lues venerea quandòque difficillimè eradicatur, remediorum actionem eludit, undè tot contradictionum origo, ut v. g. plantæ ab aliis adfydera latæ, aliis impugnatæ fuère, quia illas, ut credo, propter morbi pertinaciam, complicationem, aut impropriam adhibendi methodum sine successu exhibuère (3). Nos autem Antiquorum auctoritate, & Recentiorum experientiâ suffulti, plantas ad luem curandam magis accommodatas esse existimamus, idque propter varia rationum momenta, quas per decursum hujusce dissertationis exponemus. Nunc adhuc alumnus, & propriis viribus desidens, vos imprecor, PATRES, ut mihi in ingenti Medicinæ æquore fluctuanti succurratis, oraculaque ÆSCULAPII aperiatis.

(1) *Quamvis morbus illicò non manifestetur, attamen illos incontaminatos esse non sequitur.*

(2) *Sic in plebeiis, & rusticis articulos, litteratis, & studiosis caput, mulierculis, & matronis abdominalia viscera, &c. &c. Bagl. lib. 1. De lue venerea.*

(3) *Ibidem Baglivius inquit: Aliquibus præscribenda sunt remedia antigallica formâ sicca, aliis humidâ, nonnullis leves decoctiones, sudorificæ, balnea tepida, &c.*



T E N T A M E N
M E D I C U M
DE MERCURII ABUSU,
ET DE PLANTARUM IN CURANDIS
MORBIS VENEREIS,
Tùm simplicibus, tùm complicatis præferentiâ.

CAPUT PRIMUM.

De methodis luem veneream debellandi per mercurium.

§. I.

LUES venerea juxta finem decimi-quinti sæculi in Europâ
apparens Medicos illudit, qui nec morbum, nec ad illum
congrua remedia cognovère. At postea ipsa America, cui
aliqui morbum tribuère, remedia præbuit, nempe *guaiacum*,
sassafras, & *salsamparillam*. Hæc methodus diu
sola permansit, optimosque produxit effectus, & quamvis mercurius
ad luem curandam adhiberetur, attamen à maximâ Medicorum parte
anteponita fuit. Sed ad mercurium, nescio, quo fato! Penitus transiit,
in quo, medicinæ ludibrio, adeo quievère, ut nec experta, nec nota

remedia tentaverint. Hoc præjudicium non in aliis Mundi partibus prævaluit in quibus plerique, quamvis in Europâ operam medicinæ dedissent, experienciâ, & stupendis curationibus ab Empiricis peractis ad plantas confugere coacti fuere.

§. I I.

Nunc mercurium falsò improbare, & plantas hyperbolicè extollere mihi animus non est, sed quid de ambobus dixere Medici memorare, & aliquid de plantis, quod nondum litteris mandatum, vobis annuntiare. Plantæ antivenereæ in quatuor cogniti mundi partibus crescunt, & ideo unaquæque externis, ut curetur lues, non indiget. Itaque ad aliquas auferendas conclusiones, methodumque profligandi morbum per plantas stabiliendam, inter illarum, & mercurii effectus parallelum instituere mea interest. Et sic de mercurio primum verba faciam.

§. I I I.

Hunc primum Arabes ad cutaneas affectiones curandas, Itali postea adversus luem venereum, extus adhibuere; *Carpus*, *Johannes de Vigo* sua cerata mercurialia in curandis maculis, crustis, ulceribus, aliisque hujus morbi symptomatibus experti sunt. Crevit indies usus; ad corpus fricandum, illiniendumque varia composuere unguenta. Chemicæ operæ mercurius fixitatem & soliditatem acquisivit, & aptus evasit, ut non solum corporis peripheriæ applicaretur, sed etiam intus exhiberetur. Hinc variæ inventæ methodi, quarum præcipuas sequentibus paragraphis patefaciam. Ità seposita, tanquam perniciosissimâ illâ Antiquorum methodo, ægrotum antè focum perfricandi, sudorum profluvium, salivationemque excitandi, ad alias nostris inventas & usitatas temporibus adveniam.

§. I V.

Methodus Monspeliensis.

Præparato ægro per purgantia, sanguinis missionem, si indiget; balnea, juscula, lactis serum plûs, minùsve exhibita, proût corporis constitutioni & morbi gravitati necessarium videtur; debitâ mercurii quantitate (1) unum, aut utrumque pedem primâ die fricant, dein frictiones continuantur singulis, ternis, quaternisve diebus, ut symp-

(1) *Onguent mercuriel revisté du cinabre fait au tiers,*

tomata exigunt ; octo aut decem digitorum spatium ascendendo , capiti tamen , & abdomini parcendo ; gradatim dosis augetur , & sic morbum extinguunt , salivationi semper obviando (1) ; cum autem phthylismus imminet , quod cognoscitur ex halitu subfoetido , mitique oris dolore , & frictionibus abstinent , & si hoc non sufficit blandum exhibent catharticum , quo instituta humorum revulsione , minor fiat ipsorum raptus ad superiora , & mercurii vis infringatur. Diæta vegetabilis , & tenuis præscribitur , pluries in die ptisanam ex capillo veneris , bardanæ radice , hordeo confectam , aut aurantiorum succum , præsertim si scorbutus præcessit , potare convenit.

§. V.

Methodus D. *Haguenot* hæc est : venæsectione , & cathartico præmissis , confectum agro frictiones ministrabat , semper cuilibet frictioni interposito balneo tepido , idque per plures dies , prout opus , persequebatur. Strictæ diætæ non tenebatur ægrotus , suisque indulgere negotiis permittebat.

§. V I.

Illustrissimus Baro *Wan-Swieten* sui Præceptoris vestigiis inhærens ; spiritum antivenereum , qui sub suo nomine cognoscitur , composuit , & hic est : solutio mercurii sublimati corrosivi in spiritu frumenti , hujus solutionis debite paratæ cochleare unum , aut ad summum duo manè , & vesperè bibendum ægrotò datur , donec omnia evanescant symptomata , nullâ præcedente præparatione , nisi phlebotomiâ ; si plethoricus , aut catharsi , si cacochymicus sit ægrotus.

§. V I I.

Pillulæ , seu trageæ antivenereæ *Keiseri* in Galliis maximo in honore fuere , & virus profligabant , blandam promovendo alvum , & aliquam in ore phlogosim excitando : antepositâ præparatione , unam serò , alteram manè fumebant trageam , & de die in diem illarum numerus gradatim augebatur ; sed maximâ cum cautelâ hoc remedium adhiberi debet , ut videre est in libello ab illarum Auctore edito. Demùm paucis abhinc annis innotuit *Pulvis Equitis de Goderneau* , remedium jam dudum in Angliâ usitatum , de quo D. *Andrieux* in suâ Dissertatione gal-

(1) *Antiqui luem per phthylismum extinguere crediderunt , & ideo ei non obviam ibant , maximo quandoque cum incommodo , & ægro- tantis periculo , recentium observata morbum ullâ sine salivatione radicatus curari probant.*

licè scripta mirabilia narrat. Constat autem & analysi chemicà, & Auctoris assertione hujusce remedii compositionem ex antimonio & mercurio simul combinatis exurgere.

CAPUT SECUNDUM.

De mercurialium effectibus.

§. I.

Hucusque de præparationibus mercurialibus satis, quæ omnes à suis fautoribus ad sydera lata fuere; sed nunc tum antiquos, tum recentiores de earum effectibus, incommodisque loquentes audiamus. *Montanus* sic de mercurio verba facit: » Argentum vivum, quocumque modo adhibeatur, nullum contra luem veneream proprietatem habere; imò pessimum venenum, & exterminandum à toto usu medicinæ, præcipuè in pillulas præparatum, quod licet videatur curare, tamen non curat. Idem fatetur, se cum junior esset, usum fuisse linimento ex hydrargyro, & visum fuisse sanasse, cum tamen non sanaverit; nam redibat postea deterior affectio priore. Et epilepsiam causare.

§. II.

» Hydrargyrum luis non esse antidotum, sed Empiricorum inventum; quod tanquam fucum malo adhibent, neque à viris bonis, & Reipublicæ studiosis, tam fallacem, incertam, adeoque crudelem curationem nunquam tentari debere addit *Fernelius* (1). *Fallopianus* inter methodos empiricas, seu non regias præparationes mercuriales constituit, quas in totà Gallia vigentes non probat, cum dicit: » Superant quidem morbum, sed si habemus regias rationes curandi, quæ ut plurimum, & certius sanant sine corporis incommodo, & si non sanant, leniunt sine noxa, non proritant effectum, cur utimur hydrargyro, ex quo non ita tuta succedit sanitas (2)? *Leonardus Fuchs* sic ait: » Et si vitium hoc tollunt, tamen ita corporis vires perturbant, ut non ita multò post in longè deteriores morbos labantur. *Petrus Paulmier* asserit: Hydrargyrum luis venereæ non esse alexipharmacum. Præterea, *Minodoi*, *Abercromboyi*, & per quam plurimorum eadem fuit opinio.

(1) *Fernelii lib. de luis vener. curatione*, cap. 15.

(2) *Fallopianus*, cap. 76.

§. III.

Clarissimus *Astrucius* in hydrargyrosi pleniori infortunia evenientia in tres classes distinguit pro triplici therapeiæ stadio. In primo subita capitis tumefactio cum dolore & calore, febris continua, aut intermittens, gravis diarrhæa in dysenteriam sæpè degenerans, salivationis absentia. In secundo, hæmoptysis, epilepsiæ insultus, dolorum arthriticorum, rheumaticorum, ischiadicorum exacerbatio, catameniorum eruptio, abortus (1), ulcera oris phagedænica, si ad hos morbos propensi sunt, aut virus cum illis complicatur. In tertio denique stadio, hæmorrhagia ab ulceribus oris, conglutinatio linguæ cum gengivis, harum cum buccis, uvulæ cum partibus vicinis (2).

§. I V.

Ne jam exposita occurrant infortunia, frictiones parca dosi Auctor supradictus adhiberi suadet. Sed istæ nedum periculo vacant, licet aut ægrotorum imprudentiæ, aut incuriæ Medici tribuatur. Frictiones parciore frequenter successu carent; quamvis ex Artis legibus ritè administratæ videntur. Ut enim mercurius virus venereum profliget, certa illius quantitas in sanguinem introducta, & determinata temporis diuturnitas requiritur; & cum hoc nisi per conjecturas scire possimus: ergò hæc methodus nec bona, nec tuta. Medicus mercurii virtuti confusus, & levitate symptomatum suffultus, curatum ægrotum putat, dum morbus recrudescit, tragediamque agit priore pejorem: ergò, &c. &c. (3).

§. V.

Itaque post mercurium ritè adhibitum plurima vitia supersunt, quæ *Astrucius* in duas classes divisit: alia quæ sanabilia, & peculiaribus remediis debellanda; alia verò insanabilia, quorum tamen tentanda curatio, si ægro magis non noxium sit. Prima sunt gonorrhæa, tum recens, tum habitualis, porri venerei, phymosis & paraphymosis,

(1) *Pregnantibus mercurium administrari posse censet D. Moriceau (Aph. 165.) idque in quinto, aut sexto primis gestationis mensibus, & clarissimus Levret asserit; tunc non adhiberi, nisi à quarto ad septimum; hinc videtis gravidis solum intra trium mensium spatium mercurium præscribendum esse.*

(2) *Astruc. de morb. vener. lib. IV. cap. VIII. pag. 475. & seq.*

(3) *Idem cap. IX. pag. 487.*

condilomata, cristæ, fistula ani, & lacrymalis, dolores rheumatici, & arthritici, Herpetes, Rhagades manuum, ulcera contumacia, caries ossium, &c. Quæ in secundâ classe designata veniunt, sunt tumores testium, penis distortio, impotentia ad venerem, nodi, glanglia, tubercula gumata, exostoses, dolor osteocopus, carcinomata, ulcus uteri, paralysis, tremor artuum, alopecia, nâque depressio.

§. VI.

Celeberrimus *Boerhaave* de sublimato corrosivo loquitur: » Granum
» unum aquæ uncia dilutum dat remedium cosmeticum prudenter usur-
» pantibus. . . . Si dragma talis mixturæ syrupo violaceo mitificata
» potetur bis, tervè in die mira præstat in multis morbis incurabilibus.
» At prudenter à prudenti Medico; abstine, si usum nescis (1) clar.
» *Wan-Swieten* de frictionibus mercurialibus sic ait: Postquàm luis vene-
» reæ cura per inunctiones argenti vivi tentata fuit, & sæpè impru-
» denti consilio ab argytis magna copia unguentorum mercurialium ap-
» plicatur, numerosissima observata docuerunt similia mala contingere
» miseris, ac recensita fuerunt (convulsiones, epilepsia); imò constitit
» argentum vivum humoribus mixtum miram mutationem inducere
» corpori, sed frequenter elabi ex vasis, colligi, & stagnare in ossium
» cellulosi recessibus, ibique pondere suo membranas sensibiles pre-
» mendo, & distrahendo, dolores molestissimos totâ vitâ pertinaciter
» manentes producere. . . . Aliquoties & talia ossa calvaria vidi, in
» quorum diploë argenti vivi globoli manifestè apparebant (2).

§. VII.

Itaque mercurius lûi cum aliis morbis complicatæ, ut rheumatismo; arthritide, scrophulis, herpëtibus, & scorbuto non convenit; frustratur, morbum exasperat, nocet, ægrotumque ad orcum conducit. Hi morbi præcipuè scrophulæ, & scorbutus adeò larvantur, ut experientissimos in Arte Magistros fallat, itâ ut mercurium, ter, quaterque exhibere non dubitent (3). At postea itâ exasperatur malum, ut sæpissimè è vivis ægro- tum tollat; namque ferò medicina paratur.

(1) *Elem, chem.*

(2) *Comment. in Boerrhaav. aphorif. 400.*

(3) *V. les Observations de M. Vigarous, célèbre Chirurgien de cette Ville; la première & la seconde sur la vérole combinée avec les écrouelles, pag. 26. Item la troisième observation sur la vérole compliquée avec le scorbut, pag. 149, &c. &c.*

CAPUT TERTIUM.

De Plantis antisphyiliticis.

§. I.

De his Medicorum judicium scrutari nobis est ; & de aliis ad luem veneream curandam in Europâ , Asiâ , Africâ & Americâ adhibitis , aliquibusque methodis inter Americanas Nationes usitatis tractabo. Itâ de Guaiaco primùm in Europam deVecto sic dixit *Fernelius* : decoctum ligni Guaiaci utiliozem esse , & efficaciozem medicinam , *Fallopiz* inter regias methodos morbi venerei curandi Guaiacum constituit , ut regiam , certam & tutam , quâ lues sanatur , & hâc consulit , ut omnes utantur in suis ægrotis. *Montanus* inquit : Verum morbi antidotum esse ligni Guaiacani decoctum à Deo glorioso ostensum , de quo mirabilia prædicat , & quocum nunquàm virus incuratum evasit , si priùs corpus præparatum fuerit , & idem asserit *Mercurialis* (cap. 5.) *Mathiolus* fatetur : exhibentium incuriâ (qui diætâ solitam ægrotantibus non imperant) factum est ; ut diebus istis , sicut jam priùs non videatur hujusmodi lignum malè habentibus conferre ; nam plerique ejus decoctum assumentes non sanantur. *Amatus Lusitanus* : Guaiacum , & falsamparillam contra morbos venereos facere , modo ex Artis legibus administrantur. *Minodous* Guaiacum Regem , & falsamparillam Reginam appellat , ex quorum effectu , ut etiâ ex Chinâ , & sassafras morbi curationem expectandam esse. (cap. 41.)

§. I I.

Alii verò non solum illum laudavêre , sed mercurio prætulêre , ut *Petrus Paulmier* , dicens : Lignum sanctum hydrargyro longè efficacius esse , adjunctâ præcipuè palmarii antidoto , & nullâ noxâ quamlibet speciem exterminare , non recentem modò , sed & inveteratam : hæc autem antidotus hydrargyro caret. *Palmarius* dixit : Curationem , quæ per Guaiacum , & amuletum fit , breviorè ac faciliorem existere , quæ verò per argentum vivum , longiorè , periculosiorè , difficiliorè , ideòque consultiùs semper esse , si per ægri facultates licuerit , illo potiùs , quàm hoc modo curari (1). *Fracancianus* de suffugiis , & etiâ de unctionibus mercurialibus concludit hæc auxilii genera periculosissima , quibus tutius

(1) *Palm. lib. de hydrargyr. cap. 7 , & ultimo.*

est non uti, quamvis aliquandò proficere; sed curari virus per decoctum guaiaci, quod est præstantissimum auxilium in morbo Gallico curando (1). Idem protulere iudicium *Fallopius*, *Fernelius*, *Rachinus*, *Jansónius*, *Junckerus*, & alii.

§. III.

In Europá olim non defuere Medici, qui luis venereæ non solum per exterâs plantas, sed etiâ per alias in ipsâ crescentes curationes perficere: sic *Fernelius* dixit: Perfectissimum curationis modum eum esse, qui fiat opiata ex remediis vulnerariis compositâ, vel aquâ ex eisdem distillatâ (2). Et *Johannes de Vigo* ad curationem luis venereæ (usquè ad annum) sufficere therapëiam methodicam sine argento vivo asserit. Alii diversâs laudavere plantas morbo venereo convenientes, ut saponariam, cannâ vulgarem, juniperum, tamariscem, lentiscum, & viscum quercinum, fraxineum, santalinum (3), assarinam, buxi lignum (4), & myricam (5). Alii, ut *Cæsalpinus*, & *Amatus Lusitanus*, guaiaco lignum bucci, viscum quercinum, salsæparillæ radicem smilacis asperæ (6), chinæ radicem arundinis substitui posse dixere. Clusii temporibus coris maritima, alypum (*montis Seti*) in Hispaniâ, contra luem veneream adhibebantur, & etiâ in Indiâ.

§. IV.

Præterea aliqui methodis peculiaribus usi fuere, undè antidotus *Palmarii*. *Mathioli* & *Baglivius* sua remedia habuere, quibus virus profligabant (7). Magnus *Boerrhaave* juvenem atrocissimâ lue correptum cui ossa cariosa, & mercurialia frustra exhibita fuere, solâ guaiaci decoctione curavit. Nunc Lutetiæ Parisiorum D. l'Affecteur præstantissi-

(1) Fracacianus, cap. 63.

(2) Fernel. cap. 15. *Hujus opiatae compositio, quam mercurius non ingreditur, sed multa plantæ, invenitur apud Palmarium, lib. 1. De lue vener. cap. 7. pag. 29.*

(3) Julius-Cæsar Claudin, pag. 416.

(4) Mathioli, Comment. in lib. 1. *Diascorid.* cap. 114. pag. 192.

(5) Idem, cap. 99. pag. 151.

(6) Fallop. in tractatu de morb. Gall. cap. 63. *se radice smilacis asperæ in Italiâ effossâ, felici cum successu usum fuisse, & plurimos lue gallicæ correptos liberasse testatur.*

(7) Mathioli dixit: *se habere alia remedia ex plantis confecta ad virus venereum profligandum, quæ nemini apperuit.* Et Baglivius *similia facit verba.* Lib. 1. de lue vener. pag. 99.

num remedium (*Le Rob Antisyphilitique*) in lucem edidit. Hoc cum mira produceret; mercurium esse contentum omnes judicavere, & minime Auctori credidebant. Hujus remedii analysim instituere jussu Societatis Scientiarum peritissimi Chemicus Parisiensis (1) nil mercurii invenire; sed non affirmabant, illum abesse; namque hæc vigebat hypothesis: *Sine mercurio nulla curatio*. Earumdem plantarum repetita analysis ab illustrissimis Viris (2) jussu Regiæ Societatis delegatis nullam mercurii præsentiam præbuit, & tamen idem remedium ipsis subministravit, eisdemque habuit effectus: nihilominus adeo præjudicium invaluit, ut quàm plurimi mercurium adesse suspicentur. At nunc de plantis cum D. *Lieutaud* dicere possum: quid? Virtutem & proprietatem, quâ antè gaudebant, perdiderunt? Post tantas observationes illas esse remedium præstantissimum ad luem veneream destruendam, expellendamque quis dubitare potest? Et unicum esse refugium in illis casibus, ubi mercurius frustratur, quis ignoret?

§. V.

Sinæ ad luem curandam plûs plantis, quàm mercurio utuntur, ut videre est apud clarissimum *Astrucium* in formulis, quæ ex Sinenfi in latinum idioma traductæ sunt. Plantæ ab illis lui adhibitæ hæc sunt, radix Dauci vulgaris, Aristolochiæ longæ veræ Glycyrrhizæ, falsæparillæ, sanguinis Draconis, Mechoacanæ, flores Genistæ, summitates cum flosculis Caprifolii germanici, capsulæ seminum cujusdam speciei Adatodæ, Mala Cydonia angustifoliæ vulgaris, radix Fraximellæ, Imperatoriæ majoris, Contrayervæ, chinæ, lignum falsafra, & semina desquamata lachrymæ Iobi.

§. V I.

In Africâ solis plantis virus curatur, quarum Empirici gnari sunt; & rarè arcana sua aliis populis communicantur: maximè laudant lignum *Hethechen*, quod est spinosum, mediocriter crassum, phænicei coloris. In Insulâ Divi Thomæ mulieres ad luem veneream, & similes morbos profligandos quibusdam radicibus utuntur. Apud Americanos innumeræ vegetant plantæ; ex quibus perpaucas cognoscit Europa. In

(1) MM. Darcet & Buguet. *Ils ont travaillé en particulier sans se communiquer leurs procédés, leurs résultats ont les mêmes effets: ils ne trouvent point de mercure.*

(2) Sont nommés Commissaires par la Société Royale de Médecine MM. de Lassone, Macquer, Geoffroy, Lory, Bucquet, & MM. le Duc de Rochefoucault, Politier de la Salle, & de Mantigny.

Brasilia nobis plurimas stirpes concessit natura benefica, quarum viræ solis barbaris, nigrisq; aliquibus notæ sunt, & experientiis millenariis à plurimis ævis confirmatæ, sicuti verò secreta sua nobis non facillè revellant, de speciebus cognitis quædam dicere licet. Lobeliæ siphyliticæ historiam, methodumque exhibendi repetam, aliasque in Brasiliâ usitatas in lucem prodam.

§. V I I.

In Canada Eupatorii purpurei radicum decoctum, & Aralia nudicaulis ad luem curandam præstant. Lonicera (Dervilla) efficax remedium in gonorrhæâ, & urinæ suppressione: lotio & haustus rumecis britanici ulceribus phagedænicis prodest (1). Radicis *Huyfan* infanditur viginti-quatuor horis lib. 1 seu 2 contusæ, & exprimitur succus, velut spuma alba, calidè manè, & serò potatur, ex quibusdam cum saccharo, aliis cum melle, ventrem bis, terque in die commovet, humoremque requisitum educit (2).

CAPUT QUARTUM.

De Lobelia siphylitica.

§. I.

Cl. *Kalmius*, cum audisset, Barbaros luem veneream solis plantis facillimè debellare, mirabiliter & radiciter curare sine ullo ægrototum discrimine, & nullum adesse exemplum, aliquem hæc lue infectum periisse, aut incuratum extitisse, postquam ad hoc confugerat remedium, etiam si ægri, velut semiputres ulceribus foetorem insupportabilem exhalantibus depasti essent; *Chiliarcam W Iohnson* deprecatus est, ut à Barbaris talia remedia impretaretur: res enim verò difficilis; nam Americani, quamvis Europeos lue detentos liberaliter curarent, attamen neque blanditiis, neque auro ab illis illiciebantur, ut sua arcana revellarent, credentes illa omnem perditura virtutem, si Europeis cognita fuissent. Itaque *Chiliarca W Iohnson*, qui maxime ab Indis dilectus erat, & multa illis præstiterat officia, à tribus mulieribus eandem plantam (lobel siphyl.), & methodum exhibendi accepit, cum nulla doli suspitio adesset (3).

(1) *Amœnitates Academ. tom. IV. specifica Canadencia.*

(2) *Thomas Rangonus.*

(3) *Per idem tempus Clar. Kalmius, hominem cognovit, qui lue venerea à muliere quædam, (mulieres enim illæ Medici vicem gerunt)*

§. II.

Methodus hæc est : Radices hujus plantæ quatuor aut sex accipiunt , nempe manipulum unum , alii recentes , commendant , alii verò siccitas malunt etiã à tribus annis : eas probè lavant , & coquunt vase quocumque in aquæ mensuris tribus , decoctum propinatur quovis manè jejuno stomacho à modicâ mensurâ incipiendo , & reliquum per intervalla intrâ diem bibendo. Hæc verò mensura , quæ varia esse debet pro diversâ ægri ætate , viribus , constitutione , augetur quotidie , donec æger vim purgantem ampliùs ferre nequeat. Clar. *Bartram* libram ter in die exhibendam docet , manè videlicet , antè prandium , & cubitum. Si ægrotus ex nimia purgatione debilis evadat , uno , altrove die remedio absteineat , vires resumat , postea denuc exhibeatur , aut dilutius decoctum paretur , & ministretur , donec omnia luis symptomata evanescant , & convaleat æger.

§. III.

Si ulcera venerea existunt , tertiâ die , præter potionem , corpus torum cum ipso decocto lavant , aut bis in die balnea ex eo parata ægro præscribunt ad eorum usque curationem , si verò ista putrida , & profunda sunt , ad citius detergenda , & exsiccanda , pulvere corticis interioris ceanothi americani , vel gei (1) radicis exsiccatae utuntur. Ad malum inveteratum debellandum sumunt radices ranunculi (2) , & mundatas miscent lobeliæ decocto , quod ægro præbent , & sic curationi finem imponunt. In hoc enim decocto præscribendo cavendum , ne ranunculi nimia quantitas assumatur , quia vehementer purgat , vo-

Liberatus adhuc manipulum radicum lobeliæ siphyliticæ sibi tam salutæ servabat.

Lobelia siphylitica ea est , quæ à Clar. Linneo vocatur lobelia caule erecto foliis ovato-lanceolatis , calicum sinibus reflexis : Morisonus eandem nominavit ranunculum galeatum virginianum flore violaceo majori. Hæc planta in Virginia spontè crescit in locis pinguibus , umbrosis , humidis ad ripas amnium & fluviorum. In partibus meridionalibus Europæ , quò ex Americâ translata fuit , optimè crescit , ut videre est in horto botanico D. Gouan : in Taurinensi Regio horto hierno perit ; sed vere spontè crevit.

(1) *Geum floribus nutantibus , fructu oblongo , seminum cauda molli , plumosa Linn. Flor. Svec. pag. 424.*

(2) *Ranunculus foliis radicalibus reniformibus ; caulinis digitatis , petiolatis. Gronv. Flor. Virgin.*

intumque ciet ; & intestinorum inflammationem causare potest. Alii etiam maximi habent radices ceanothi americani Linnei , vel celastris (1) inermis. foliis ferratis trinerveis , cujus decocto (quod rubedine sanguini assimilatur) morbum perfecte vincunt. Itaque in pertinaci , & exasperata lue radices rubi (2) prioribus miscent , ut terminetur curatio. Diætā quamvis levis , & vegetabilis sit , attamen caro conceditur , potus tenuis ; vinum ferme omne , & liquores ardentes vetant. Hoc regimen per quatuordecim dies , aut hebdomadas tres observatur , quo tempore omnis expellitur lues.

C A P U T Q U I N T U M .

De plantis antiveneris Brasilia.

§. I.

In Brasiliā præter antiveneras plantas , quæ in Americā tūm Meridionalis , tūm Septentrionalis aliis partibus crescunt , sequentes inveniuntur : *Caroba* , *Jurubeba* , (folan. paniculat.) *Guabipoicaiba* , *Lusitanis Pao Podre* , *Jacuacanga* , seu *Canna sylvestris* , *Jaborandi* radices (3). *Secopiræ* cortex , *Tajuja* , *Velamen* , & aliæ majori virtute pollentes , quas *Nigritæ* & *Barbari* possident (4).

(1) *Linn. Hort. Cliff.* 73.

(2) *Rubus cauli aculeato* , foliis ternatis. *Linn. Flor. Svec.* pag. 410.

(3) *Guillelm. Pison. lib. 2. de Medicin. Brasil* , cap. XIX. lue vener. pag. 35.

(4) *Amicus mihi sequens narravit* , quod sibi adolescenti evenit : cum insectus cum insecto pluries manducassæt , in faucibus apparere ulcera ; *Chirurgus consuluit* , qui illa venerea esse cognoscens , methodum à nobis usitatam subire proposuit , ad quod non deliberabatur , verens , ut pater illum per impurum commercium contraxisset morbum suspicaret. Per idem tempus ad eum curandum se obtulit *Negrita* , stipites infrusta attulit , quorum decoctione per octo dies , sine ullo diætæ regimine , pro potu ordinario usus , ulcera sanata fuere , & nunquam ne minimum quidem luis venereæ symptoma habuit.

Mireris forsitan , sed scitu dignum est : illas gentes alia habere secreta , quæ *Mesmerica* superant. Hinc violentæ mortes , morbi que chronici , quos cognoscere impossibile , & solum à *Nigritis* quandòque curantur. Tanti mali causam plebs ignara sortilegio tribuit , & Medici , horrenda , & incognita symptomata videntes , attoniti redduntur.

Illius regionis Medici ad curandam luem, alii plantas, alii eandem, quam in Europâ accepere, methodum adhibent. Ulcera venerea (à nobis *bobas* (1) dicta) quæ partes genitales utriusque sexûs, fauces & corporis peripheriam inficiunt, methodo peculiari radicitus curantur. Hujus remedii compositionem ingredientia simplicia sunt, *salsæparillæ* radix, & *carobæ* folia, *senna*, & *jalap.* in pulverem redacta, cum suff. quant. syrûpi bolum efficiunt; antepositâ aliquâ præparatione cochleare unum manè, & serò alterum exhibent per quindecim dies, & iteratur the-rapeia, si morbus pertinax est. Pro potu assumitur *salsæparillæ* infusio (2)

(1) In hoc morbo idem ac in variolis, & morbillis observari dicitur, & sic qui correpti, & liberati fuere, cum infectis conjungi non timeant; quatenus plus unâ vice non contrahitur.

(2) *Salsæparillam* optimum antisyphiliticum esse à nobis non dubitatur, quamvis hodiè in Europâ parvos producat effectus, hoc propter ebullitionem accidere credo. Ad hujus radices medicamentosam extrahendam virtutem, maceratio sufficit, quæ per ebullitionem aut evanescit, aut minuitur, ut ex *Illustr. Professoris hujus Ludovicei D. Gouan prælectionibus* accepi; hujus assertum sequens observatio confirmat. Maxima pars militum, qui ex *Brasiliæ* capite vulgò *Rio de Janeiro* ad nostros cum *Hispanis* limites muniendos exeunt, virus venereo infecta est. Hæc cum ad præsidia pervenit, primis ab adventu temporibus, sudoribus, & ventris profluviiis corripitur, & qui his non succumbunt, intra annum lue venereâ perfectè liberantur. Curatio ista non ali, nisi *salsæparilla*, juxta flumina, scaturiginesque fontium abundè crescenti, in eisdemque maceranti tribuitur. *Fallop.* cap. 63, *chinam* & *salsæparillam* etiâ in regiâ methodo constituit, & ait: se ad hanc ultimam confugere, cum in lue venereâ adsunt ulcera tanquàm ad certissimum auxilium, & si non facit prima diætâ, facere saltem secundam, & tertiam: & idem *Mercuriali*, *Amato Lusit.* *Rangono*, *Colle*, *Jul. Cæs. Claud.*, *Fuchio*, & *Alexand. Trajan.* visum est. *Botallus* de *salsæparillâ* sic loquitur: quàm non minori (imò forte majori) laude dignam esse, quam lignum indum, præcipuè in corporibus, quæ adeò frigida non sunt, cap. 29, & *Andræas de Leon*, *Medicus*, & *Chirurgus Philippi II Hispaniarum Regis*, inquit: *Salsæparillam* omnium vegetabilium ad morbi curationem efficacissimum esse, cap. 45.

In pago *S. Fidei* haud longè à *Mexico* crescit *salsæparilla* juxta fontem, cujus aqua suavissima & saluberrima per aquaductus in civitatem deducuntur. *Marogr. Hist. plant. lib. 1. pag. 2.*

Diæta ex solâ bubulâ sine sale , ad jentaculum , cœnam tostâ , ad prandium coctâ : itaque rudia exercitiâ commendant , ut sudores promoveantur (1).

§. I I.

Plebs per suas ptisanas variis ex plantis confectas , ut Jurubeba , Guabipoicaiba , Tajuja , Jacuacanga , Joborandi , &c. gonorrhæâ sine ullo periculo liberatur. In fine curationis ad ulcus siccandum , & consolidandum balsamum *Copaiba* cum sacharo , & olivarum oleo dissolutum per os & penem usurpatur (2).

C A P U T S E X T U M.

De aliquibus auxiliis antiyeneris.

§. I.

Non solum ex regno vegetali & minerali (3) , sed etiam ex animali quædam desumuntur antiyenera auxilia. Itaque juscula ex viperis , & aliis colubris confecta maxime prosunt , & ab Auctoribus commendantur

(1) *Valida corporis exercitatio , tanquam ultimum remedium ad luis pertinacis curationem à Clar. Wan-swieten observata fuit , & ante illum sic Fracastorius scripserat :*

*Sed nec turpe puta dextram submittere aratro ,
Et longum trahere incurvo sub vomere sulcum
Neve bidenti solum , & duras proscindere glebas.*

(2) *Vid. Pison. lib. 2. de Medicin. Brasil. cap. XIX. pag. 35.*

(3) *Illustr. Gouan bubonem venereum alkali volatili guttatim instillato inter paucos dies resolvit.*

Cl. Chapral , *Chemices Profess. inter aliquas curationes ab illo peractas hepate sulfuris , alkali caustico preparato , mihi sequentem impertivit : agrotus 55 annos natus , cui mercurialia inutiliter adhibita , circa crura , & scrotum fistulas habebat , per quas fluebat urina ; huic ille hepatis sulfuris guttas quinque in aqua libris 2. intus & extus præscripsit , & in ea aquæ quantitate , quæ ad lotiones inserviebat , usque ad drachmam auxit dosim : post hebdomadas sex minxit per vias ordinarias , quas candelis ex gummi elastico reddiderat aptas , & intra menses tres penitus curatus evasit.*

D. Peyrilhe *alkali volatili concreto intus exhibito luem profligat. Remèdes nouveaux contre les maladies vénériennes.*

tur (1) Sinæ cortice inferiore testudinis vulgaris ex arte ustulato , Piratæ ; qui Americæ maritimas plagas devastabant , escâ ejusdem testudinis lue venereâ liberabantur (2). Multi Hispani qui carnem avis , quam Mexicani *Tzpilot* , aliæ nationes *Aura* appellant , nos verò Urubû ; ipsorum Mexicanorum consilio comederunt , se lue venereâ sanatos affirmârunt , cùm frustrâ alia remedia tentaverint (3). Demùm remedium novum adversùs hunc morbum maximo cum successu Indi in Americâ adhibent : ab Europeis ibi commorantibus experimenta facta eosdem habuère eventus , & hoc est : sumunt lacertum quemdam viridem capite , & cauda excisis , pelle , visceribusque extractis carnem contundunt , & adhuc calidam devorant , tres in die sic deglutiunt. Quintâ die calor , & sudor copiosus excitatur ; paulò post saliva viscida excernitur , & intrâ decem circiter dies curatio perficitur (4).

§. II.

CONCLUSIO.

Ex his , quæ hucusquè relata fuère , nobis concludere licet : mercurium solum à doctis & experientissimis Medicis in simplici lue exhibendum esse , in plurimis circumstantiis non convenire , complicationibus noxium , quarum dantur aliquæ , ut v. g. scorbutica (5) , rheumatica , quæ non separatim , sed jurgiter melius curantur , ut paulò infra videbitis : prætereâ mercurium per duo sæcula à tot , tantisque viris modificatum , non nobis adhuc certam , imò incommodam , fallacem , & periculosam præbere medicinam (6) , quæ peritissimos in Arte Magistros quotidie decipit. At verò plantæ , ut hominum naturæ magis accommodatæ , lue venereâ correptis præstantissimum auxilium confe-

(1) Jacobus Cætanus à *lacu marcino* , Sebastianus Aquitanus , & Mathiolus , &c.

(2) Astruc , *lib. 2. cap. VI. pag. 155.*

(3) *Avis carnivora.* Marcgr. *Hist. natural. Brasil. lib. 7. pag. 208.*

(4) *Avvisi sopra la salute umana* 10. 11. 12.

(5) *Præcipuè scorbuti terrestres , & inveterati.*

(6) *Juvenem cognosco , qui æstate transactâ , præmissis debitis præparationibus , frictions parvâ dosi accepit , ad sextam vehementissimo dolore in angulo maxillæ inferioris repente correptus fuit , qui inter paucas horas mitigatus , adhuc aliquoties insurgit : postea illic duo dentes carie affecti fuère.*

runt, & in quocumque casu, in complicationibus non nocent (1); sed certò tutè, & facilè morbum vinct. Ne verò ullum moveatur dubium, in mentem revocare sufficit, illas ab ignaris, barbarisque hominibus, qui nunquàm Medicinæ limen tetigère, exhibitas nullum secum inferre periculum, difficiles & stupendas peragere curationes. Nunc supradicta nos ad ultimam conclusionem inducunt, nempe: Mercurio Plantas anteponendas esse.

C A P U T S E P T I M U M.

De curandâ lue venereâ per plantas.

§. I.

Tria mihi observata videntur, 1^o. aliquæ affectiones, quæ præcipuè suis localis, & incipientis symptomata sunt, 2^o. Ea confirmata, 3^o. ipsa variis complicata morbis. Primò de gonorrhæâ agam. Ut istius curatio ritè instituatur, tres admittimus periodos. In primâ antiphlogistica, prout exigit symptomatum gravitas, conveniunt, quæ etiam sub formâ injectionis in uretrâ, aut clisteris usurpantur; balnea, cataplasmata non negligantur; narcotica prudenter exhibita convenire possunt, si vehementes extiterint dolores; sed inter hæc primarium sanè locum sibi vindicat Alkekengi, scujus bacca, & radix scopum adimplent, tanquàm remedium diureticum, & antispasmodicum (2). Hæc

(1) *Plantæ omnibus ægrotis, constitutionibus, & in quocumque statu adhiberi possunt, D. de Mittié, D. Parisiensis, solis plantis luem curavit; & id quibuscumque effici contendit, ipse inquit: solum mercurium esse remedium periculosum in hac lue curandâ.*

(2) *Baccarum vires in doloribus nephriticis, calculo omnes Medici in omni ætate asseverant, à Galeno ad Mathiolum, Rajum, &c. sive comestæ fuerint, sive in vino infusæ ad potum. Radix autem ad drachmā unam in aquæ duobus cyathis decocta, non solum in eisdem morbis, sed etiam in gonorrhæâ & sanguinis mixtu adeò prodesse testatur Illustr. Gouan, ut secundo die & dolores mitigati, & mixtus cessaverit. Hæc etiam penitus consonant cum praxi Medicorum nostratum Brasiliensium, qui Jurubeba radices (solan. paniculat.) fuscati, & solani etiam campechiensis, plebis antiquâ experientiâ suffulti in decocto præscribunt ad gonorrhæam, & hepatis obstructions curandas. Marcgr. 84. Pison. 89.*

Omnia ritè præscripta graviora symptomata compescunt, & cætera. Quoad secundam cavendum, ne diuturnior fiat fluxus gonorrhœicus, aut intempestivè coerceatur; sed intrâ debitos contineatur limites, per diætam vivendique modum. Tertia denique periodus ea est, in quâ paulatim symptomata remittuntur, materiesque melioris indolis effluit, tunc falsæparillæ infusio pluries in die epota, purgantia, & corroborantia conveniunt: abstergatur ulcus injectionibus vulnerariis; & astringentibus solum utetur cum balsamicis, & absorbentibus, ut *Copaiba* & *Catechu*, &c. combinatis; namque aliter virus in sanguinem migrare potest, siphylidem causare, aliisque vitiis ansam præbere.

§. I I.

Ad cancerorum curationem, præter antiphlogistica, si casus exigat; præscribantur foci, lotiones, aut balnea ex plantis antivenereis, aut pulveres ex ipsis inspergantur; at semper in illorum curatione irritatio, & inflammatio vitetur, ne virus absorbeatur. Intus sequens exhibeatur remedium: falsæparillæ radices & carobæ (1) foliarum anna unc. 4, jalap. unc. 1. fenn. unc. 1 $\frac{1}{2}$ omni in pulverem subtilissimum redactò adde syrupi quant. sufficient. fiat opiata. Ex hac ægroto exhibe cochleare unum manè, & serò alterum, prout ejus constitutio; potetur falsæparillæ infusio. Diætâ frugaliter observetur, ex carne debet esse, præsertim assa (2).

§. III.

Bubones venerei in inguinibus apparentes principio purgantibus præmissis, per resolventia tractari oportet; dum verò in suppuratum abire malunt, suppuratio procuranda tum foci emollienti, cum emplastris maturantibus: quò enim natura vergit, eò ducenda. Tumores, alii spontè benè suppurant, alii è contrâ aut caustico, aut ferro indigent, quæ prima methodus ferro anteponenda (3), & solum hoc uti debetur, si

(1) Pro Caroba alia antivenerea planta substituatur.

(2) Hæc methodo inter paucos dies plurimos curatos vidi, &c.

Palmarius inquit: alimenta facilis digestionis esse debent, sed carnea præsertim assa; lac, pisces, & olera vetat, commendat etiâ frugalitatem, & evacuationes; & Baglivius easdem suadet in fine curationis. Lib. 1. de lue venerea, pag. 99.

(3) Tumores caustico aperti citò cicatrifantur, ferro verò difficilior, & supersunt ulcera callosa. Samuel Foart, Observ. sur la gonorrhée, pag. 43.

imfistineat gangræna ; at in quocumque casu suppuratio stabilienda opetopicorum , & postea prudens est remedio uti , quod in cancrorum therapia indicavi (1). Phymosis , & Paraphymosis antiphlogisticis , cataplasmatibus demulcentibus , balneis , & aqua vegeto-minerali *Goulard* , lenibusque purgantibus debellantur , his incassum tentatis , circa partem hirudines applicentur : injectiones suadent Auctores , ne acrior materies aliis morbis ansam præbeat. Gangrænæ quandòque supervenienti selectissimis antisepticis obvietur ; hæc in paraphymosi frequentior est. Si strangulatio occurrat , ne humorum circulatio , & urinæ fluxus præpediatur , ad præputii incisionem confugiendum est. Indè luis therapia instituenda ; quatenus in humorum massam retrocessa creditur.

§. IV.

Omnium curatu difficilior ea est quæ antiqua , hæreditaria , & complicata. In regionibus calidis lues præsepè ad cutim erumpit , & partes textus tenuioris ulceribus afficit ; at facilius juxta quosdam curam suscipit , quam in temperatis , & frigidis , propter æstum qui transpirationem provocat : huic opinioni nos parum , assentimus ; namque talis est regionis constitutio , ut continuò alternantes , & quandòque per diem calor , humiditas , imò frigus in locis maritimis , evacuationem cutaneam præpediunt , aut retropellunt ; undè aliorum morborum origo , & præ primis apud nos scorbutus (2). Morbum auxiliis indies inventis curari facilius , aut potius ob familiaritatem mitigari credimus.

§. V.

Ad luem antiquam , & hæreditariam profligandam maximæ prudentiæ opus est , & iis perseverandum remediis , quæ ægroti temperamento , & morbi statui accommodata videntur ; at præstant decocta Guaiaci , chinæ , salsæparillæ infusum aut pulvis , juscula ex viperis , & colubris confecta , & methodi in Americâ usitatæ , præterea Præfana Depuratoria ,

(1) *Nullum Chirurgum , postquàm ægrum cancris , bubonibus , & gonorrhæâ correptum ptisanis , & præparationibus mercurialibus tractaverit , illum lue veneræ exemptum esse affirmare posse , inquit D. Petit , Traité des maladies des os , pag. 177.*

(2) *Scorbutus ia Capitaniâ , vulgò Minas Geraes apud Brasilienses communissimus est ; quàmvis fructibus acidis , limonibus , aurantiis , & multis oleribus abundet , & ad centum & plus leucarum à mari distet.*

Ejus formulam in observationibus *D. Vigarius* invenies, & Rob antiphyliticum, quæ omnia cuilibet ætati, constitutioni, & temperamento, sub quâcumque conditione à Medicis utiliter exhibenda veniunt. (1). Si recens natus luem patitur hæreditariam (2), matri illi uber porraturæ remedia præscribentur, dum verò à nutrice inquinatus fuerit (3), eadem remediis utetur, ut infans unâ cum lacte curetur.

CAPUT OCTAVUM.

De complicatione.

§. I.

Virus venereum arthritide, rheumatismo, scrophulis, & scorbuto præcipuè complicatur. In omni complicationum genere hoc observandum venit, ut primò ille profligetur morbus, qui majus infert periculum, aut alterius curationi obstat. Experienciâ constat, hujusmodi complicationes eisdem curari plantis, quæ simplici lui prosunt, aut remediis cuique morbo convenientibus simul combinatis. Sic ex *Astrucio* doloribus rheumaticis, Arthriticis post mercurium existentibus convenit in viscidâ sanguinis constitutione decoctum, seu bochetum ex lignis, corticibus, radicibus sudorificis, ut guaiaco, sassafras, china, salsaparilla; quorum duo, vel tres haustus in die per hebdomadas duas præscribuntur, postea jusscula ex viperis, colubris, quæ per quatuordecim dies repetantur.

(1) *Remedium D. l'Affecteur in lue inveteratâ, hæreditariâ, & tanquàm incurabili relietâ mirabiliter prodest pueris, debilibus, prægnantibus, &c. ut videre est in dissertatione de illo prolatâ. V. Les observations de M. Ramus.*

(2) *Conscientia exigit, ut unusquisque antequàm uxorem ducat, se Medico peritissimo ad examinandum submittat, mala venerea præcessa fateatur, & ejus deliberationi obtemperetur. Oh! quot mariti hæc omissione mulieres, filios miseros, sui que criminis participes reddunt.*

(3) *Ut huic malo obviam eat, utilissimum foret, nutricum Tribunalia instituire, in quibus de earum sanitate, moribus, & filiorum valetudine certificaretur. Stockolmi anno 1764 ex 295, quæ se ad hoc munus implendum obtulere, solummodo 152 admissæ fuere, & anno 1767 ex 630, 200 propter mala venerea, &c. remissæ. Rosen, Mala die des enfans, pag. 543.*

Scrophulis virus venereo complicatis vegetabilia antivenerea cum antiscrophulosis adhibeantur , & quamvis hæc complicatio curatu difficilima , aut incurabilis putetur ; attamen melius dubium , quàm nullum adhiberi remedium (1).

§. I I I.

Nunc ad complicationem scorbuticam advenio , cujus therapæia non rectè institui potest , nisi prius aliqua de remediis scorbuto terrestri , & maritimo convenientibus dicam. Hic antiscorbuticis propriè dictis , & ritè adhibitis expellitur , ut Nastrutio , Cochlearia , Bucabunga , Eruca , Lupulo , Raphano , Fumaria , Cortiæ Winterano , quæ amaricie , ac vi attenuanti , & diureticâ calidâ donata , solida corroborant , fluida attenuant , & per urinas acrimoniam debellatam ejiciunt ; præterea optimè coducunt fructus subacidi , limonum , & aurantium succus , hordeum , & hujus præparatio , quæ sub nomine *Malta Anglorum* cognoscitur , cujus virtutes extollunt Auctores , qui eam non solum in scorbuto , sed aliis in morbis exhibuerunt.

§. I V.

Scorbutus verò terrestris penè omnia suprâ relata illudit , intrâ illa viget (2). Ad hunc profligandum maximâ sagacitate opus est. Medicus , prius ægroti constitutionis , & morbi statûs habita consideratione , lenia purgantia , emollientia , dulcia , mulcilaginosâ , & balsamica in usum revocare potest. Itaque , si scorbutus maritimus sit , primò remedia illi conducantia , & postea antivenereis combinata præscribantur ; idem de terrestri observandum est (3). Insuper hujusmodi complicatio Ptisanâ Depurato-

(1) Remedia , quæ hucusquè ad scrophulas inventa sunt , parùm efficacitatis habent.

(2) Ex prælectionibus D. Vigarous hujus Universitatis Illustr. Professoris.

(3) Scorbutus terrestris ptisanis ex lignis sudorificis quibus antiscorbutica adduntur , evincitur. Sic in Brasiliâ Irlandicus Medicus simili ptisanâ summo cum successu talem complicationem expellebat : hæc ptisana sub nomine *Agua antiscorbutica* de Guilherme cognoscitur. Astutius etiam in scorbuto post frictions existentem eadem commendat , ut mitigetur , si sanari non possit. Lib. IV. cap. x & XI. pag. 50.

riâ (1) Rob antisiphylitico (2) optimè curatur. Prædicta auxilia utriusque sexûs individuïs, & in quocumque statu sola, aut aliis combinata profunt : ergò nulli desperati, aut incurabiles judicentur ; quatenus ut inquit *Baglivius* : *Dùm anima in corpore existit, semper aliquid de admirabili Arte nostra sperandum.* Postremò vos Medicos supplicor, ut aliquid laboris & solertiæ in administrandis plantis impendatis ; namque certus, illas à vobis magis ad astra extollendas, adoptandas, methodumque confirmandam, cujus incerto pede nunc limen tango.

(1) *Ptisana Depuratoria est præstantissimum remedium lui simplici & scorbuto complicata, scrophulis recentibus, rheumatismo, & humoribus in gangranam vergentibus.* D. Vigarous, *Observ. pag. 176.*

(2) *Hujus remedii mira invenies in dissertatione de illo editâ, quod post experimenta varia de suo effectu nil dubii relinquit.*

M. de Sartine, Ministre de la Marine, ne voulant plus laisser ces malades sans secours, depuis que les vertus du Rob ont été éprouvées, a ordonné dans son nouveau Règlement, que chaque vaisseau du Roi qui partiroit des ports de France, ajouteroit aux remèdes qui composent le coffre de Chirurgie, un approvisionnement de Rob antisiphylitique, pour traiter ceux dont la vérole se déclareroit en Mer.

FINIS.

C785

C1724

75-254
26 marzo 73
Comelas



ARGUMENTABUNTUR
N. N. D. D. PROFESSORES REGII.

N. D. JOANNES-FRANCISCUS IMBERT, *Cancellarius & Judex.*

N. D. PAULUS- JOSEPHUS BARTHEZ, *Cancellarius & Judex, Adjunctus.*

N. D. FRANCISCUS DE LAMURE, *Decanus.*

N. D. GASPAR-JOANNES RENE', *Pro- Decanus,*

N. D. ANTONIUS GOUAN.

N. D. FRANCISCUS BROUSSONET:

N. D. FRANCISCUS VIGAROUS.

N. D. JOANNES SABATIER.

N. D. JOANNES- CAROLUS DE GRIMAUD, N. D. BARTHEZ, *Coadjuor.*

N. D. HENRICUS-LUDOVICUS BRUN, N. D. DE LAMURE, *Decani Coadjuor.*

